

+ 96,9, a.

Orationes  
Silverstainianas

die II. Junii MDCCCXLVIII.

hora IX. antemeridiana

in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit

**Carolus Theophilus Anton,**

Philos. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas.  
Rect. et soc. lat. Jenens. nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor., in soc. theotisc.  
Berol. cooptatus, ac Tusciae Academiis literarum atque artium, Aretinae, Pistoriensi  
et Mutilensi epistolarum commercio adjunctus.



Praemittitur interpretatio effatorum Christi, quae multis offensioni  
erant, inprimis de jurejurando omnino vetito.

Gorlicii,  
ex officina Heinziana.

980  
5 (1848)



Stylischer  
Theil

Nam deum, quomodo humanae conditionis vel humanitatis  
 quae religioe appellatur, insistentem diligenter observantem.  
 dicitur, et eiusque (S. 7) commendatorem, ut dicitur, Iohannis Iohannes  
 testatur. Et deus ipse (Gen. 22, 18; Exod. 20, 12) iussit  
 in suis temporibus religioe esse cultum, quae in litteris V. T. invenimus, aetiam  
 institutum igitur, de quo praecipue disputatum sumus, iam antiquis  
 ratione ex diffinitionibus, quibus quae religioe tractatur, expedirent  
 hanc esse, quod omnia, quae ad illam, pertinet interpretem ostendunt, et eadem  
 esse de rebus ad hoc doctrinam plane diversis additum praecipue, ut in causam  
 hanc pertinet, quod illi, quae in litteris de praecipue dicitur  
 in interpretatione esse potest.  
 sunt disputata, nosse tamen sagacem eorum doctorum hominum, qui in  
 ipse perire non debuerit. Quae etiam de hac re omni, scripturae per se  
 quod hoc et non observant esse videtur, quippe qui interpretando omnino valde  
 cupit esse. Iustitiae doctrinae de sapientiae multos ex aliis, idque eo magis  
 convenit, quae nobis in hac terra est, eo magis forte mirum est, christo praee-  
 vobis tantum et aliis dicitur. Quae praecipue omnia, ut videtur, conditione tenet  
 hanc non lucet, sed in deum praecipue legitur, unde, ut convenit  
 praecipue, ut videtur, praecipue tamen, ut videtur, et cum hoc militante  
 adeo praecipue, ut loquenti deum nostram maximam observantem esse deum  
 asservationem vel actionem, ex quo praecipue videtur, idem Halli 2. 39 — 42,  
 Halli 2. 34 — 37, insistentem omnino videtur, quicquid aliter sit  
 per se, praecipue totum corpus, idem de manu deum scripturae, in Christo  
 et hoc insistentem ad praecipue, esse excellendum, quae scilicet sit, unum membrum  
 nullis observationem tenet. Sic deus Christus Halli 2. 29. 30. unum deum  
 in quo vivimus, conditioni non accomodatam, sed ad ea plana alia  
 P. deus Christi praecipue, quae facere debent, quod, in litteris  
 1

**P**lura Christi praecepta, quae facere jubent, quod, si feceris, rerum, in qua vivimus, conditioni non accomodatum, sed ab ea plane alienum esset, multis offensionem fuerunt. Sic dicit Christus Matth. 5, 29. 30. oculum dextrum si nos invitet ad peccandum, esse evellendum, quia satius sit, unum membrum perire, quam totum corpus. Idem de manu dextra repetit. Ita Christus Matth. 5, 34. — 37. jusjurandum omnino vetat, quicquid adjiciatur simplici asseverationi vel negationi, ex vitio proficisci addens. Idem Matth. 5, 39. — 42. adeo praecipit, ut ferienti dextram nostram maxillam obvertamus alteram quoque, et tunicam nobis erepturo pallium quoque demus, et eum duo millia comitemur, qui nos cogat ad ministerium unius milliarii conficiendi, atque ut roganti largiamur, neque eum, qui mutuum a nobis sumere velit, repudiemus. Nec non Luc. 12, 33. ita Jesum praescripsisse legimus: vendite quaecumque vobis sunt et stipem date. Quae quidem omnia quo minus cum conditione rerum conveniunt, quae nobis in hac terra est, eo magis jure miramur a Christo praecepta esse. Inprimis doctrina de jurejurando multos vexavit, idque eo magis, quod ipse ei non obsecutus esse videtur, quippe qui jurejurando omnino vetito ipse jurare non dubitaverit. Quare etiam de hac re omni tempore permulta sunt disputata, neque tamen ingenii acumen doctorum hominum consensum in ea interpretanda efficere potuit.

Quodsi quaesieris, quid sit, cur iis, quae Christus de jurejurando dixit, alia de rebus ab hac doctrina plane diversis addiderim praecepta, scito causam hanc esse, quod omnia, quae attuli, pariter interpretem offendunt, et eadem ratione ex difficultatibus, quibus quasi obstricta tenentur, expedienda sunt.

Jusjurandum igitur, de quo praecipue disputaturi sumus, jam antiquissimis temporibus religiose esse cultum, quae in libris V. F. invenimus, satis testantur. Ut deus ipse (Gen. 22, 16. Deut. 28, 9. ibid. 29, 12. 13.) jurasse dicitur, et ejus jusjurandum (יהוה) commemoratur, ita etiam avi Hebraeorum, quos vulgo patriarchas appellant, jurisjurandi religionem diligenter observarunt. Nam deum, quem summa veneratione colebant, si quid sponderent vel paci-

scerentur, testem et vindicem veri invocabant. Sic non sine jurejurando Abrahamus regi Sodomae se nihil ei erepturum esse pollicetur Gen. 14, 22. 23., et aliis in locis similia leguntur. Mos jurandi erat talis, ut manus sursum tollerent quasi in summi dei habitantis in coelo communionem venturi. Solebant etiam interdum jurantes ejus, cui vota nuncuparent, femori manum subjicere, ut Eliëser Abrahami atriensis, quum juraret, se filio ejus non esse ex gente Canaanitarum uxorem electurum, Gen. 24, 2. 3., item Josephus, quum patri polliceretur, se eum mortuum non esse in Aegypto sepulturum, Gen. 47, 29., quem quidem morem Moses lege sanxit et Israëlitas jussit per nomen dei jurare, Deut. 6, 13. et 10, 20. בְּשֵׁם יְהוָה, in ejus (dei) nomine jurabis; atque poenam divinam perjurio minitatur, Deut. 5, 11. Namque אֲשֶׁר — יֵשׁוּעַ אֱלֹהֵינוּ — שֵׁם לֹא יִשָּׂא, qui nomen ejus (dei) in vanum pronunciat, nemo alius est, quam perjurus. Sed proprium erat Judaeis, quod jurandum juraturis voce praecire solebant, nec jurantes hoc repetebant; tantummodo verbo אָמֵן asseverabant. Quia igitur jurisjurandi verba ab alio recitata tantum confirmabant, factum est, ut Hebraei verbi נִשְׁבַּע, i. e. juravit, non nisi conjugatione Niphal et solo conjugationis Kal participio Paul, quibus Passivum significatur, uterentur.

Quanta autem Judaeis fuerit jurisjurandi religio, multa, quae memoriae sunt prodita, nos luculentissime docent. Quum stirpem Benjaminis fere deletam (Jud. 20, 46. 47. 48.) perire nollent Israëlitaë, nec tamen Benjaminitis suas filias collocare auderent propterea, quod juraverant, se nulli Benjaminitae filiam in matrimonium daturus esse (Jud. 21, 1. 18.), curabant, ut ex Jabensibus caede perditis quadringentae virgines Benjaminitis nuptum darentur (Jud. 21, 12. 14.), et aliae ex Silunte ad festum Jovae celebrandum exeuntes ab iis, sicut virgines Sabinae a Romuli sociis, raperentur, Jud. 21, 23. Dolentes enim, unam tribum ex Israëlitis in eo esse, ut interiret, (Jud. 21, 2. 7.) impium magis habuerunt jusjurandum violare, quam vim facere. Eadem jurisjurandi religio erat Davidi, qui Jonathanis filio Mephibosetho pepercit, (2. Sam. 21, 7.), quia cum Jonathane foedus amicitiae jurejurando inierat (1. Sam. 20, 17.), quum ad expiendam injuriam, quae ipsa erat jurisjurandi violatio, Saulus enim Gabaonitas contra jusjurandum (2. Sam. 21, 2. coll. Jos. 9, 15.) interemerat, duos Sauli filios et quinque nepotes Gabaonitis cruci suffigendos traderet, quoniam deus ipse famem trium annorum fidem laesam puniturus miserat (2. Sam. 21, 1.). Vides igitur, jusjurandum summa religione ab Hebraeis esse servatum, et si violatum fuerit, caede hominum, qui perjuro essent proximi, expiatum esse.

Posteriore tempore Judaeos per fictos deos jurantes perjurio deverticulum quaesisse, patet ex Jeremia 4, 2., ubi jubentur vere et juste jurare: יהיה — יה, i. e. per deum viventem. Maxime Pharisei operam dabant, ut varia ratione jusjurandum fallax inducerent. Docebant enim, hominem non obstringi jurejurando per coelum, per terram, per res creatas, sed tantum eo, in quo ipse deus sit nominatus. Denique adeo eo devenerunt, ut jurijurando auctoritatem esse negarent, si per templum juraverit aliquis, nec tamen si per templi aurum jusjurandum dederit, et nil valere jusjurandum dicerent, quod per aram juraverit, at jurejurando per donum arae impositum dato homines teneri, Matth. 23, 16. — 22.

Sagaciter de hac re judicat Philo (de decalogo, ed. Francof. 1691. p. 756. et de special. legg. p. 770.), qui laudat τὸ ἀνώμοτον, i. e. abstinenciam a jurejurando, nosque ita vult veri studiosos esse, ut verbum simplex pro jurejurando habendum sit (τοὺς λόγους ὄρκους εἶναι νομίζεσθαι p. 756.). Idem (p. 757.) si necessitas jurandi, ait, sit imposita, opus esse juraturo, ut animus sit purus ab iniquitate, corpus purum a piaculis, lingua pura a calumniis. Neque male quemque, qui juret, suspectum eo ipso se profiteri dicit p. 756. ὁμνὸς εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται, i. e. qui jurat, de perfidia suspectus est. Aptae etiam et luculenta est jurisjurandi definitio, quam apud eum legimus pag. 756. et de special. legg. pag. 770. μαρτυρία ἐστὶ θεοῦ περὶ πραγμάτων ἀμφισβητούμενων, jusjurandum testimonium est dei de rebus ambiguis.

Etiam Essaeorum notum est τὸ ἀνώμοτον, τὸ ἀψευδές (vid. Philo in libro, quod omnis probus liber, p. 877.), quod adeo nonnulli putant Christum ab iis didicisse, qui pariter jusjurandum et mendacium damnat, quod tamen Christum non ab Essaeis repetiisse docet Cel. Ammon (Handbuch der christl. Sittenlehre tom. I. p. 44.). Nec vero negligendum, quod non magis quam Christus, suam de jurejurando doctrinam ipsi secuti esse videntur. Narrat enim Josephus (de bell. Jud. II. 8. 7.), in societatem eorum neminem esse receptum, nisi qui horribili jurejurando esset obstrictus. Antequam per triennium exploratus et probatus in communionem Essaeorum recipitur, ait, ὄρκους ὄμναι φρικώδεις, quod eo magis miramur, si apud eundem (de bell. Jud. II. 8. 6.) legimus, eos justos terminos veri transgressos eo delapsos esse, ut jusjurandum turpius adeo perjurio haberent, quia eum jam damnatum esse judicaverunt, cui non crederetur, nisi deum testem haberet, τὸ ὁμνέειν χεῖρόν τι τῆς ἐπιουρίας ὑπολαμβάνοντες. ἤδη γὰρ ἤδη κατεγῶσθαι φασὶ τὸν ἀπιστού-

μενον δίχα Θεοῦ. Quicquid, inquit Josephus, dicerent, iis firmitus erat iurejurando. Hanc vero animi affectionem, qua iurejurando opus non esset, non putabant effici posse nisi horribili illo iurejurando, quo praestito in societatem advenas recipere solebant. Sic minus hoc iusjurandum cum doctrina eorum pugnasse videtur, quam cum Christi praeceptis, quod ipse iuravit.

Sed ad haec praecepta diligentius examinanda transeamus, ut demonstremus, ea neque cum consuetudine, quae hodie in civitatibus christianis obtinet, neque cum ipsius Christi factis pugnare, esse tantum speciem repugnantiae. Sunt quidem multae vitae conditiones ita comparatae, ut christiani a magistratibus ac iudicibus adigantur ad iurandum, quia hoc unum adiumentum est, quo quid verum sit, exquiri atque intelligi queat, quamquam non omnino fidum, et praeterea Christus ipse iusjurandum ex more Iudaeorum coram pontifice summo dedit (Matth. 26, 63. 64.). Nam licet non ipse iusjurandum dixerit, summus tamen pontifex eum his verbis allocutus est: ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, et Jesus respondit: σὺ εἶπας; i. e. recte dixisti, affirmo; ergo quod per deum vel testante deo dicere iussus erat, affirmavit, qua re ex more Iudaeorum iuravit. Quaesierit igitur aliquis: nonne haec est manifesta repugnantia? Quomodo praecipere potuit: ne iures, et tamen praecepti immemor ipse iurare? Accedit, quod Christus saepissime quae dicit, confirmat verbo: ἀμὴν, ut Matth. 5, 18. 6, 2. et: ἀμὴν ἀμὴν, ut Jo. 1, 52. Sed repugnantiam videri esse, non vere esse, multi sic probarunt, ut Christum iurasse negarent, rem ita explicantes. Quia iurare omnino vetuerit, verbum ἐξορκίζω nihil aliud significare existimant, quam: obtestor te, nec vero: adjuro te, i. e. iusjurandum tibi propono. S. V. Pottius (in oratione de iurisjurandi natura morali formaque legitima, 1804., quam reperis in ejus Sylloge commentat. theolog. Vol. V. p. 371., in annotatione subjecta) σὺ εἶπας Jesum dixisse arbitratur non ut iusjurandum confirmaret, sed facta ad vocem εἶπας accommodatione, et ita intelligi voluisse: tu jam dicebas, et jam persuasum habes, me esse Christum, adjuratione itaque non opus est. Sed hanc interpretationem probare non possumus, quum ex Grotii interpretatione loci Matth. 26, 63. (cfr. opp. theol. tom. II. Basil. 1732. pag. 260.) et ex Jo. Dav. Michaëlis celeberrimo libro: Moysaisches Recht part. VI. §. 302. constet, quod jam supra diximus, illam iurandi rationem per interrogationem et responsionem, qua iusjurandum ab alio recitatur atque a iurante tantum affirmatur, usitatam fuisse populo Israëlitarum. Cfr. Levit. 5, 1. Proverb. 29, 24. Num. 5, 21. 22. et Deut. 27, 15. — 26. In

primo loco dicitur peccare, qui audit vocem jurisjurandi (הָלַח), et rei testis est, neque tamen jusjurandum confirmat, in altero, qui furtum condit, vituperatur, quod jusjurandum (הָלַח) audiens non indicat, sc. furtum. In tertio uxor adulterii accusata jubetur jurare, ita quidem, ut verbis jurisjurandi praeceat sacerdos et ipsa his auditis dicat: אָמֵן אָמֵן, ita vere est. In postremo loco Levitae execrationem pronunciant, et populus auditam confirmat voce אָמֵן. Neque minus Niphali verbi נִשְׁבַּע hunc morem probare, diximus jam pag. 4. Quapropter ipse Pottius profitetur se vereri, ne sua explicatio altius repetita vel accessita esse videatur. Si quis dixerit, Christi fuisse ad interdicti sui vim atque auctoritatem sustinendam jusjurandum ab ipso postulatum recusare vel certe reprobare, Pottius negat, hoc in turbulenta illa causae cognitione potuisse fieri, quia eo Christus obsequium magistratibus denegasset, quod manifesto noluerit. Urget in primis, loco, de quo verba facimus, vocabulo ἔξορκίζω non indicari jusjurandum forense, sed potius obtestationem, qualis etiam quotidie audiri solet, qua non nisi commotus interrogantis animus declaretur et maximum exoptatae asseverationis desiderium, ita ut interrogationis momentum augeatur. Atque suae explicationis testem Marcum appellat, qui (14, 61. 62.) in eadem re narranda verbum ἔξορκίζειν non adhibeat. Sed licet Marcus Jesum se Messiam profitentem jusjurandum addidisse non referat, tamen non sequitur, verbum ἔξορκίζω h. l. non habere significationem jurisjurandi. Grotius quidem loco commemorato in verbis Christi ἔξορκίζειν non putat esse, nisi latinum obsecrare, coll. Marc. 5, 7., ubi tamen ὀρκίζω legitur, verbum minus grave, nec, quod primarium est, ulla sequitur verborum confirmatio, ita ut jusjurandum non possit esse, sed tantum obsecratio sit. Eadem est verbi ὀρκίζειν ratio Act. Apost. 19, 13. et 1. Thess. 5, 27. et in versione Alexandrina Gen. 24, 37. 50, 5. 6. 25. 1. Regg. 2, 42. 2. Regg. 11, 4. Nehem. 13, 25., ubi ὀρκίζω (2. Regg. 11, 4. pro ὀρκισεν edidit Lambertus Bos, Franequerae 1709. ὄρκωσε), respondet hebr. עֲשִׂבֵי. In omnibus deest jurantis confirmatio. ἔξορκίζω tantum in N. F. eo, de quo scribimus, loco reperitur, et manifesto indicat jusjurandum, quia solita Judaeis confirmatio addita est. Accedunt praeterea multae asseverationes atque obtestationes religiosae in epistolis Pauli iurijurando tam similes, ut etiam cum Christi doctrina conciliari nequeant, si eam omnino quodque jusjurandum interdicere statuimus. Rom. 1, 9. legimus: μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ θεός, ibid. 9, 1.: λέγω ἐν Χριστῷ, 2. Cor. 1, 23.: μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι, ibid. 11, 11. et 31.: ὁ θεὸς οἶδεν, ibid. 12, 19.: κα-

*τενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν*, Gal. 1, 20.: *ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι*, Phil. 1, 8.: *μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεός*, 1. Thess. 2, 5. 10.: *Θεὸς μάρτυς, ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ Θεός*, 1. Tim. 5, 21.: *διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ* etc. Quae omnia ne a Christi praeceptis dissentire videantur, sunt qui existiment, Christum quidem ab omni jurejurando dehortari, sed non in omne tempus, ut haec ejus sententia sit, nobis jurare licere, natis quippe ad civilem societatem in hac terra, in qua mores corrupti sint, sed inter regni divini cives omne jusjurandum esse cessaturum. Sed quae illi de discrimine inter regnum divinum et terrestre admiscent, ea a Christi verbis plane aliena sunt. Atque obstat, quod regnum divinum jam quum viveret, advenisse declaravit, Matth. 4, 17., Jo. 4, 23. Nihilominus tamen multi putant, in hoc orbe terrarum, in quo mendacium frequens sit, jurandum esse, sed jurejurando abstinendum *ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆς ἀληθείας*. Vulgaris vero opinio haec est, Christum interdicere jurejurando in vita communi, minime in judicio forensi; quae multis placet, quod cum ipsa ejus actione jurandi coram judice nullo negotio conciliari potest, et eo confirmari putatur, quod Christus dixit, non esse jurandum per coelum, per terram, per Hierosolyma, neque per caput, quippe quae fuerint formulae jurandi in communi vita solennes, et recentiore aetate inventae, quibus saepissime abusi sint Judaei. Sic S. V. Ammon (Handbuch der christl. Sittenlehre, tom. II. part 1. pag. 89.) praeceptum Christi exponit, hoc argumento utens, quod Jesus non commemoraverit jusjurandum per deum. Arbitratur igitur, per deum jurare non esse vetitum, quia hoc non expresse interdixerit. Sed satis perspicue interdictum his verbis inest: *μὴ ὁμόσαι ὄλως*, quae cum aliis etiam formulam jurandi per deum complectuntur. Hoc eo clarius apparet ex causa, quae interdicto addita est. Res enim, per quas jurent, dicit, non esse hominis, quem deus creaverit, sed ab ipso deo creatas. Ergo reprehendit jusjurandum propterea, quod per res fiat, quae dei sint et dei recordationem cogitantibus afferant. Aliis placet interpretatio ad arbitrium facta verborum Christi haec, omne quidem jusjurandum vetari, sed legem nullam esse, in qua nihil sit excipiendum, vetitum esse jusjurandum omne, sed excipiendum illud, ad quod rerum necessitas nos cogat, ubi salus hominum sine jurejurando constare non possit, non licere igitur in vita communi, sed in foro jusjurandum dare, hic probandam esse exceptionem, neque per eam legem ipsam abrogari. Quam tamen praecepti christiani interpretationem verbis non esse accommodatam, quae exceptionem non admittant, dum vetant *μὴ ὁμόσαι ὄλως*, facile



apparet, eamque Apostolis non esse probatam, nos docet Jacobus (5, 12.), qui praescribit, jurejurando omnino esse abstinendum, *μὴ ὀμνύετε μήτε τὸν οὐρανόν* etc. neque jurate per coelum neque per terram neque ullum aliud jusjurandum, *μήτε ἄλλον τινὰ ὄρκον*, quod uno verbo affirmatis, sit verum, quod uno verbo negatis, falsum, ne in poenam incidatis.

Alia est Erasmi Roterodami locum interpretandi ratio, cujus haec verba in annotationibus in novum testamentum ab eodem denuo recognitum, Basileae 1519. pag. 25. leguntur: hac ratione multarum quaestionum nodi dissolvi poterunt, si intelligamus, Christum non simpliciter haec vetuisse, sed vetuisse eo more fieri, quo vulgato more hominum fiebant; sic vetuit salutare quemquam in via, sic vetuit ditescere, sic vetuit resistere malo, et alia. His Erasmi verbis viam ad verba Christi recte exponenda invenisse sibi nuperrime visus est G. Chr. R. Matthaei, Dr. theol. et philos., qui edidit libellum de doctrina Christi de jurejurando, Halae 1847., existimans, Jesum (v. 34. seqq.) jusjurandum, quale a Judaeis intelligebatur, vetuisse, idem autem, quale ipse intellexit *ἐκ τοῦ πνεύματος τῆς ἀληθείας* (Jo. 16, 13.) profectum, suo exemplo probasse, probatumque commendasse. Interpretatur igitur Christi sententiam ita: majoribus vestris lege praeceptum est non pejerare, ego vero dico, ne jurare quidem licere, i. e. jusjurandum tale dare, quale vobis dandum esse videtur, quod Jesus dixisse putat, quia ex Judaeorum more jurandi facillime perjurium existere potuerit. Statuit itaque S. V. Matthaei, a Christo tale intelligi jusjurandum, cujus non sit spiritus veritatis auctor, quod non nascatur ex veritatis studio, in quo potius hoc studium desideretur, itaque jusjurandum, quale is dat, in quo est levitas animi, temerarium, quo quidem non asseveratur id, quod jurans falsum esse scit, non igitur est perjurium (*ἐπιθορζία*), sed id, quod jurans verum esse opinatur, nec tamen utrum sit, cognitum habet ac perspectum, deinde intelligi a Christo jusjurandum superstitiosum, quo quidem non, ut in priore, ore magis, quam animi conscientia nomen dei invocent, sed magicam quandam mentis jurantium conjunctionem cum deo esse arbitrentur, qualis nulla esse possit, et perjurii crimen iramque dei piaculo leniri posse sperent, denique jusjurandum impium, quo nullam plane cum deo rationem jurantes se habere opinentur. Atque haec ita intelligenda esse interpreti recentissimo eo probabilius esse videtur, quod Jesus caussam, cur jure vetetur jusjurandum, hanc adjicit, eximia et praecleara, divina atque in dei potestate sita esse ea, per quae Judaei jurare soleant, quae eorum levitatis superstitionis et impietatis jurejurando minoris aestimentur,

extenuentur, contemnantur. Ad suam explicationem defendendam hoc denique affert, quod Jesus adjungit, quidquid addatur, proficisci ex malo. His verbis indicare Jesum putat, se non verum jusjurandum, sed jusjurandum Judaeorum vetare, quia verum non proficiscatur ex malo. Sed Judaeos omnino jusjurandum temere, superstitiose atque impie dandum putasse, et jurisjurandi naturam perverse interpretatos esse, non satis probavit. Plures procul dubio ejus vim et naturam rectius intellexerunt. Quod utrumque hodie de christianis dici potest. Neque Christus, si quod Matthaei ex verbis ejus extricat, dicere voluisset, ita locuturus fuisset, ut scriptum legimus. Nam si quis ita dicit: vobis pejerare peccatum est, ego vero dico, jurare omnino peccatum esse, non potest his verbis hanc sententiam describere: vobis pejerare peccatum est, ego vero dico, vestram jurandi rationem omnino peccatum esse, bonum autem, veritate diligenter examinata atque perspecta jurare. Quae postrema si omittuntur, non potest fieri, ut jurare omnino, non nisi perversam jurandi rationem indicet, probam vero atque laudandam excludat, idque eo minus, quod Jesus claris verbis prohibet, quominus praeter *vai* et *oŷ* aliquid addant, quippe quod sit ex malo profectum. Quodsi Christus sententiam eloqui voluisset, quam ex verbis ejus Matthaei (p. 21.) elicit, hanc quidem: et legem esse sanctam, non jurandi, ut Judaei jurant, et legem sanctam jurandi, ut Christus jurat, silentio ea ipsa praeteriisset, in quibus rei cardo verteretur, sine quibus nemo intelligere potuisset, eum statuere, praeter Judaeorum jurandi rationem aliam esse maxime probandam, cujus tamen natura Judaeis ignota sit.

Similis est interpretatio, quam Michaëlis in libro: *Mosaisches Recht* part. VI. pag. 159. seq. §. 303. protulit. Arbitratur enim, Jesum vetuisse tantum illud jusjurandum, quo per coelum, terram, Hierosolyma vel per caput dato neminem teneri Pharisei docebant, ut alios defraudarent.

Sed his ita expositis, ut appareret, verba Christi carere ea interpretatione, quae non sit ob varia argumenta repudianda, nostrum est exponere et probare, quod diximus (p. 6.), Christi praecepta videri quidem pugnare cum consuetudine et usu nostrarum civitatum, et cum eo, quod ipse Christus fecit, sed non re vera pugnare. Ergo eam, quae hodie Christianorum est consuetudo jurandi, et jusjurandum, quod ipse Christus dedit, reconciliemus oportet cum verbis ejus, quae explicanda sunt, quod quidem ea ratione sumus facturi, qua simul aliorum Jesu praeceptorum, quae in hac commentatione explicaturi sumus, difficultas, qua maxime laborant, dissolvatur.

Patet enim ex omnibus, quos commemoravimus, locis, haec Jesu consuetudo, ut quam animi affectionem auditoribus ac discipulis praescripturus erat, quo gravior esset atque efficacior sua oratio, actionibus, quae sine illa a nullo fieri possent, describeret, ipsamque actionem juberet, quae licet non sub quaque rerum conditione commendanda, ita tamen esset comparata, ut non posset nisi ex mente, sententia et voluntate proficisci, sub unaquaque conditione Christianis praecipienda. Quod ubi ad praecepta Christi applicaveris, ea, quae offensioni maximae erant, nihil offensionis habere reperies. Addamus igitur singulas praeceptorum explicationes. Quae verba Matth. 5, 29. leguntur, ea ita intelligenda esse censemus: si te oculus vel manus (v. 30.) ad peccandum sollicitat, erue eam ac projice. Hoc quidem non ad verbum esse explicandum, quis est qui non videat? Quid ergo praescribit Jesus? eam affectionem animi, quae maximum virtutis causa subeat dolorem, summam virtutis causa non recuset jacturam. Quae Matth. 5, 39. invenimus, non minus sunt ejusmodi, ut qui ea ad literam intellecta sequi velit, saepissime incommode et adeo inepte facturus sit. Nam si quis injurias sibi inferenti resistere nolle, atque vellet ferienti maxillam dextram obvertere sinistram caedendam, tunicam sibi erepturo pallium quoque dare, ac cogentem ad ministerium unius milliarii conficiendi duo milliaria comitari, petenti cuique dare, neque ullum repudiare, qui mutuum sumere velit, is a maleficis pessime vexatus et lacessitus atque a dissolutis ac perditis re sua familiari privatus in maximam incideret miseriam. Hoc ergo non faciendum esse apparet. Contra probus christianus nullus est, nisi qui ita animo est affectus, ut haec omnia facturus esset et facere posset, nisi alia officia eum prohiberent. Nam a pietate christiana is plane remotus est, qui odio atque vindictae cupiditate ad omnes persequendos impellitur, a quibus unquam injuria offensus vel ulla re privatus sit, et dignis atque egenis omnibus beneficia negans amorem a Christo praescriptum recusat. Ita etiam Erasmus Roter. in annotationibus paullo ante allegatis pag. 25. quod Christus dixit interpretatur. Dicit enim: non hoc sensit Christus, obvertendam sinistram malam ei, qui dextram percusserit, sed ea nos voluit esse lenitate, ut ad alteram injuriam accipiendam simus paratiores, quam ad retaliandam priorem.

Idem valet in verba Luc. 12., 33. Nam si omnes christiani velint omnia sua vendere et pauperibus dispertiri, societatis humanae felicitas tolleretur, quippe quae maxime nititur conjunctione divitum et pauperum, quod

quidem qui hodie communionem omnium bonorum optant et laudibus praedicant, atque spe ejus assequendae proletariorum animos alunt et inflammant, ignorare videntur, unde quae nostram patriam dilacerant, turbae gravissimae ac miserrimae oriuntur. Nec tamen christiana animi affectione ii sunt instructi, qui nimio amore bonorum hujus terrae capti, ut egenis aliquid ex suis concedant et largiantur, a se impetrare non possunt. Christus igitur actionem nuncupat, dum suis discipulis animi affectionem praecipit, sine qua nemo ad actionem nuncupatam idoneus est. In his igitur praeceptis omnibus Christus non ipsam actionem voluit intelligi, sed animi sententiam, qua sui discipuli essent prompti et parati ad injurias sine ultione tolerandas, bona sua amittenda, aliis grata facienda et miseros quosque adjuvandos.

Quodsi eadem ratione Christi praeceptum, qua jurare omnino vetat, interpretaris, omnia sunt luculenta neque explicatu difficilia. Si Christus dicit, jurandum omnino non esse neque per coelum, quae dei sedes sit, neque per terram, ejusdem dei velut scabellum, neque per Hierosolyma, urbem magni regis, neque per caput hominis, cujus ne unum quidem pilum album nigrumve reddere possis, neque ulla alia formula, his verbis jusjurandum omnino, nihil excipiens, improbat, sed non actionem, quae sub quaque conditione illud respuit, intelligit. Nam si omnes christiani hoc praeceptum ad literam intelligere atque ita intellectum sequi vellent, civitatem unico, quod inter homines ad mentiendum propensos aliquam vim habet, subsidio verum explorandi privarent. Igitur Christus manifesto non ipsam jurisjurandi detractionem jubere voluit, sed animi affectionem veri studiosissimam, quae ubi civibus inest, salvam facit civitatem sine jurejurando, idque ipsum reddit supervacaneum. Voluit omnes christianos tam veraces esse, ut si quid affirmaverint, hoc quasi jurando affirmatum, si quid negaverint, hoc velut jurando negatum haberetur ab omnibus. Quare etiam alio tempore de jurejurando omnino vitando nihil dicit, (Matth. 23, 16. — 22.), ubi legum doctores et Pharisaeos coecos duces nominat, quia doceant, per templum jurare nullius esse momenti, at jurejurando per aurum templi hominem teneri, per aram jurare nihil valere, at jurejurando per donum in ara deo oblatum hominem obstringi, eosque acriter reprehendit, quum majus sit templum, quod aurum consecret, et major sit arae auctoritas, per quam hostia imposita sacra fiat, quae per se res vulgaris sit, et quum per aram jurans non solum per ipsam, sed simul per ea, quae ei imposita sunt, juret, atque is, qui per templum jusjurandum dat, per illud non solum, sed

simul per deum, qui templum incolit, ac denique homo, qui per coelum jurat, non modo per solium dei, sed per eum ipsum, qui solio insidet, jusjurandum det. In his verbis ejusmodi jurisjurandi vituperatio inest, qualem Cel. Matthaei sibi invenisse visus est in iis, quae Matth. 5., 34. sqq. legimus. Hic Jesus diserte non jusjurandum omnino condemnat, sed illud jusjurandum, cujus naturam Judaeorum opinio penitus corruperat et depravaverat. Propterea ne verbulum quidem addit de jurejurando omnino reprobando. Itaque utroque loco, quo jusjurandum reprehenditur, comparato apparet, Jesum quo tempore omnino jurare vetuit, non cogitasse de jurejurando per opinionem Judaeorum corrupto, quia quum de hoc verba facit, id satis perspicue describit, et se id solum vituperare, dilucide declarat, nec quicquam de jurejurando universe addit. At ubi, ut ex aliis verbis, quae partim praecedunt partim sequuntur, a nobis, quia intellectu difficiliora sunt, modo explicatis clarum est, de animi affectione, qualis christianum deceat, disserit, eamque talem denotat, qualis ex effectibus, quos profert, cognoscitur, ibi vetat omnis generis jusjurandum, neque ullum excipit, quia omnis ejus necessitas nulla alia re adducitur, nisi animi affectione, quae a christiana plane dissentit.

Miramur, Erasmus Roterod., qui, quae Matth. 5, 39. leguntur, ut nos ipsi, explicavit, hanc interpretandi rationem non ad doctrinam Jesu de jurejurando exponendam adhibuisse. De hac enim dicit: opinor, Christum simpliciter sensisse, perfectis, nam de his loquitur (quod quidem verbis Christi intrudit), omnino non esse jurandum pro rebus hisce, pro quibus vulgus dejerat (quae postrema denuo sine justa causa Christo afficta sunt).

Quodsi quis necessitatem jurisjurandi negaverit, quia ad verum indagandum nihil prosit, quum qui mentiantur, iidem non dubitent mendacia sua jurejurando confirmare, hunc secum reputare volumus, esse quidem malos homines ita moribus depravatos, ut nec mentiri nec pejerare sibi religioni ducant, multos tamen esse alios, qui sibi quidem indulgeant falsa adeo coram judice dicere, abhorreant tamen a perjurio et si jurisjurandi confirmationem postulaveris, dicta retractent et mutent. Quod qui reprehendunt, quia vituperabili superstitione fieri arbitratur, errant. Nam causa hujus rei probabilis haec subest: homo levis animi nec tamen impius sibi facile indulget mendacium, ubi speciem utilitatis habet, pro levitate sua majestatis divinae immemor, sed idem, si deum rei falsae testem invocare jubetur, alacri memoria magni dei, qui omnia accurate perspicit, et falsa quaeque summa sua poten-

lia ulciscitur et punit, in suo animo excitata, non superstitione reprehendenda, sed dei veneratione maxime laudanda ab iis, quae falsa dicere non dubitaverat, jurejurando confirmandis retinetur. Sequitur igitur, ut jusjurandum forense probandum sit, etiamsi interdum accidat, ut vim non habeat. Si vero sunt, qui jusjurandum abrogandum esse censeant, quia eo nonnulli se ad peccatum perjurii adduci patiantur, ii non vident, se subsidio ad verum indagandum et tutelam in civitate civibus praestandam optimo, quamquam non in omnibus caussis sufficiente, probos cives, qui moribus sunt integris, privare, ut malis occasionem peccandi auferant, qua ad impune scelera committenda uti solent, cujus peccati culpa et damnum nonnisi ipsis est, neque aliis tribui potest, qui ad sua defendenda jusjurandum adhiberi voluerunt. Impediunt igitur, quo minus scelerum numerus minuatur, dum eum minuere ipsi volunt. Nam si jusjurandum antiquatum esset, peccatum quidem perjurii nemo amplius esset commissurus, sed plura alia flagitia, quae jurejurando, quod multi mali horrent et reformidant, prohibentur, pravi homines essent patraturi. Talis igitur humanitas, a nostro tempore, quod multa perversa probat, non aliena, maxima vi reprobanda et coercenda est. Nam quominus mali aliis flagitiis novum perjurii addant, impediens jura proborum laedit et ea libidini malorum submittit.

Sed jam indicenda sunt solennia in honorem Rudolphi Ferdinandi Liberi Baronis a Sylverstain et Pilnickau, de Gymnasio nostro meritissimi, perendie sermone patrio ita celebranda,

ut primum ipse dicam de invalescente hodie immodestia homini docto maxime vitanda, deinde duo juvenes beneficii Sylverstainiani participes prodeant,

Adolphus Robertus Günther, Gorlicensis, primae Gymnasii classi adscriptus, quam vim hodiernae in Europa turbae in animos juvenum literis studentium habere debeant, expositurus, et

Carolus Robertus Alexander Beisert, Sprottaviensis, secundae classis civis, de opinione vulgi partim sequenda partim contemnenda verba facturus.

Saganus, qui hoc beneficio gaudebat, nuperrime a nobis discessit.

Quibus solennibus ut Patres Amplissimi, Sacrorum Ministri Summe Venerabiles, Gymnasii Collegae Clarissimi ceterique scholae Fautores Aestimatisissimi praesentes interesse velint, observantissime rogamus.

P. P. die XXXI. Maji MDCCCXLVIII.

---

tia ulciscitu  
 denda, sed  
 dubitaverat  
 dum forens  
 vero sunt,  
 ad peccatur  
 indagandun  
 in omnibus  
 ut malis o  
 uti solent,  
 potest, qu  
 igitur, qu  
 Nam si ju  
 esset comp  
 horrent et  
 humanitas  
 xima vi re  
 perjuri ad  
 Sed

Liberi I  
 meritissimi  
 ut pi  
 docto m  
 ticipes pro  
 Ad  
 classi adsc  
 juvenun  
 Ca  
 dae classi  
 temnen  
 Sag  
 Qui  
 nerabiles  
 simi prae  
 P. I

# TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007



on superstitione reprehendi-  
 tis, quae falsa dicere non  
 equitur igitur, ut iusuran-  
 t, ut vim non habeat. Si  
 seant, quia eo nonnulli se  
 ent, se subsidio ad verum  
 am optimo, quamquam non  
 ribus sunt integris, privare,  
 mpune scelera committenda  
 ipsis est, neque aliis tribui  
 beri voluerunt. Impediunt  
 m eum minuere ipsi volunt.  
 idem perjuri nemo amplius  
 rejurando, quod multi mali  
 ssent patraturi. Talis igitur  
 a probat, non aliena, ma-  
 lus mali aliis flagitiis novum  
 ea libidini malorum submittit.  
 Rudolphi Ferdinandi  
 kau, de Gymnasio nostro  
 t,  
 die immodestia homini  
 beneficii Sylverstainiani par-  
 elicensis, primae Gymnasii  
 ropae turbae in animos  
 ant, expositurus, et  
 ert, Sprottaviensis, secun-  
 sequenda partim con-  
 prime a nobis discessit.  
 erorum Ministri Summe Ve-  
 scholae Fautores Aestimatis-  
 rogamus.